



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 66. Quædam Constitutiones Pontificiæ hoc anno emanatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. qui utriusque Jurisprudentiæ laurea decoratus vix expleto vigesimo quarto ætatis suæ anno publicis Theologiæ disputationibus, ac Concionibus in præcipuis Urbis Ecclesiis habitis sese oppido celebrem reddiderat, demum vero ab Urbano VIII. Papa æquo benemeritorum remuneratore Ecclesiam Camerinensem obtinuit, variisque Ecclesiæ officiis præpositus, tandem ab eodem Pontifice sacra Purpura cohortatus est. Postquam vero Camerinem relicta, Tudertinam Ecclesiam regendam susceperat, atque ex ea hoc anno ad invisenda SS. Apostolorum limina Romam contenderat, in civitate Narniensi die vigesima quinta Novembris apoplexia tactus, anno ætatis suæ sexagesimo sexto ibidem decessit.

§. LXVI.

Quædam Constitutiones Pontificiæ hoc anno emanatæ.

Bull. magn. Innocentii X. Const. 55. Vid. supra §. 10. Ante biennium Innocentius X. Papa quosdam parvos Religiosorum Conventus suppresserat, iisque ad statum sæcularem reductis eorum bona ad alias pias causas applicaverat, cum autem hi Conventus ob rationabiles causas in pristinum regularem Statum restituti suis Ordinibus denuo concessi fuissent, Pontifex

tifex illos visitationi & Jurisdictioni Ordinariorum hoc anno die decima Februarii subjecit, donec ipsorum reditus eousque aucti fuissent, ut inde duodecim Religiosi in eis commode sustentari valerent. Declaravit pariter idem Pontifex alia Constitutione die vigesimo quinto Septembris edita, quod Commendatarii, qui Monasteria Ordinis Cisterciensis obtinent, non valeant Priores & Officiales ejusdem Ordinis instituere, vel suis officiis amovere, nec visitare Monachos, eosque corrigere.

Sæc. XVII.
A. C. 1654.

§. LXVII.

Varie sacrarum Congregationum Decisiones.

Plura sacrarum Congregationum decreta hoc anno prodire, & primo quidem die septima Januarii rursus Concilii Congregatio decidit, quod licentia Confessiones audiendi omnino gratis concedenda sit, eaque obtenta post oppositionem, litem & possessionem beneficii non suffragetur ad obtinendam Prælationem: pariter ab eadem Congregatione die decima octava Aprilis declaratum habetur, quod Episcopus non possit prohibere, quin Regulares pro devotione Missas in Ecclesiis

*Decis.
S. Congreg.
Concil. Rit.
&c.*